




QK.



QK 33, 1<sup>cc</sup>





ΧΡΥΣΕΙΟΝ ΔΩΡΟΝ

sive

ΕΠΙΣΤΟΛΑ ΒΕ-  
ΡΕ AUREA, ET TEMPORIBUS  
HISCE PROFILIGATIS LECTU PLANE  
necessaria, scribta à Dn. Doctore Hoëad  
Archiepiscopum, & Electorem  
Moguntinum.

EX GERMANICO IN LATI-  
num translata

à

G. O.



A N N O


---


M. DC. XX.

Alben s'appiglia, chi ben si consiglia.

QK. 33, 1cc.

Kat. I, 347.





**D**ublica fama est, Archipræstul Reverendissime, te quotidiè tantum in Germania  
**A**tibi postulare, quantum affectus suus  
 gerit, & tibi virium esse, tibi persuasus  
 es, nec ullum modum, aut legem, non mor-  
 rem, non officium, non judicium, non existi-  
 mationem civium, non posteritatis verecun-  
 diam quidquam apud te valere. Quæ vera  
 esse me quidem non latet, imprimis, quod  
 Palatinum, vicinum tuum, ingenti odio pro-  
 sequaris, teq; supra reliquos Imperii proceres  
 superbè extollas, minus recordatus, te, tuiq;  
 similes Archiepiscopos, & Episcopos fortuna  
 veluti oppressa ac pedibus subiecta ad maxi-  
 mos, & insperatos honores eveli solere.

Sed & à nemine non ipse Egò vapulo, qua-  
 si plenis velis ad summum audaciæ gradum  
 contendam, simulq; & Aulicus, & Concio-  
 nator sim, utrobiq; pestilens, non secus ac  
 Crocodilus, anceps animal, quod in terra o-  
 va ponit, in aquis prædatur, & insidiatur. Ve-  
 rùm me malos mores exuisse, & veterem cu-  
 tem seriò deposuisse, norunt ij, qui me proxi-

mè viderunt, cum metuerim, ne *Funcii* fatum aliquando experirer, & scelestissimæ curiositatis pœnas luerem. Nunc te quoq; monere, & adhortari placuit pro benignitate, & munificentia ista, qua adversus me sæpius usus es, ut crepundiis originis tuæ conspectis tumorem animi, & inflationem seponas, pastoritio muneri diligentius deinceps invigiles, & prærupta illa omittas, ne, qui jam titubas, corrucas, & planè interreas.

Nam ut libenter concedam, te plus posse, quam olim Christi Apostoli potuere, qui humilitate tantum sublimes, paupertate locupletes, gloria neglecta illustres, & duplii personæ Ecclesiasticæ, & seculari sustinendæ impares erant: non tamen ex usu tuo, vel Imperii Germanici esse puto, quod M A R C H I O N E M S P I N O L A M in Palatinatum cum exercitu mitti gavisus fueris, tuasq; operas ei, cuius nocendi cupiditatem, ulciscendi crudelitatem, animum implacabilem, dominandi libidinem, ignorare non poteras, in delenda splendidissima, & fertilissima provincia per antiquum, & fidelem ministrum tuum Nobilem ab Efferen addixeris.

Etenim ut te, tuosq; propter viciniam implicata-

plicari damno, & periculo necessario præteream, nec dicam, hostium copias, cum non longè absunt, etiam si irruptio facta sit nulla, tamen pecora relinquere, agriculturam deserere, mercatorum navigationem conquiescere: illud te considerare jubeo, præsenti potentia sequentis ævi memoriam non extingui, nec justè se movisse Hispanum, cui soli tota hæc militatur militia. Quandoquidem Palatini Patris FRIDERICI <sup>78 in manu eius</sup> nullum delictum in Regem Hispaniæ est, nec Filius judicare neglexit, quod à suis improbè factum est, multominus reddere quidquā potest, quod per injuriā Ibero non abstulit. Sed quid respondere queas, & velis perspicio, Iustum videlicet esse, propter Amicum noxam, & detrimentum negligere, quibusq; in rebus ipsi interesse non possimus, in his operis nostris vicariam fidem amicorum supponi. Verū tanti negotium esse, ob quod FERDINANDUS Cæsar arma arripuit, post meliorem informationem generosissimi Grunthalii nego, & pernego, ut propterea dulcissima patria nostra Germania concutiatur, nobilitas cum plebe pereat, civilis, Tragœdiæ carnificina exciteatur, in propria viscera hosticus ensis fæviat, a-

vita Imperii sedes vacua novitio, & peregrino optimarum legum desiderium, mutationis injuriam, libertatis conculcationem debeat, deniq; nullum scelus exemplo careat.

Nam in confessu apud omnes est, non Imperii rem agi, sed domus Austriacæ commodum privatum: id quod Archidux ALBERTUS ad Hassiæ Landtgrafum MAURITIUM in Epistola quadam minimè dissimulat.

Quocirca si verus amicus Hispani, Ferdinand es, tantaque tibi cum istis omnium rerum cum benevolentia, & charitate consensio intercedit, cum severitate potius eos diligere, quamq; divinum sit felicitatis & moderationis contubernium doce, non cum lenitate decipe. Non enim, si nescis, fallax adulatio sinceræ amicitiae nomine insignitur, nec nisi turpum est, assentationem pro consilio afferre, quorum una appetet contentio, unus labor, ut blandissime fallant.

Egregium, & Ferdinando probè inculcandum esset, quod Lambertus Schafnaburgensis posteritatem ignorare noluit, cum Archiepiscopi, Episcopi, & ferè omnes Præfules, Duces item, & Comites Saxoniæ Imperatori Heinrico IV. per legatos renunciassent, se ei fidem

fidem dixisse, sed si ad ædificationem, non ad destructionem Ecclesiæ Rex esse vellet: si justè, si legitimè, si more maiorum rebus moderaretur: si suum cuiq; ordinem, suam dignitatem, suas leges tutas, inviolatasq; manere pateretur. Sin ista prior ipse temeraſſet, se iam sacramenti religione non teneri, sed quasi cum barbaro hoste, Christiani nominis oppressore justum deinceps bellum gesturos, & quoad ultima caloris vitalis scintilla supereſſet, pro Ecclesia Dei, pro fide Christiana, pro libertate etiam sua dimicaturos.

Sed, ut animadverto, in alia schola tu huc usq; institutus es, illumq; consultorem, amicum, fautorem Principis appellas, qui eum perversa educatione corrumpit, stultis opinionibus infatuat, illecebris & occurrptionibus ludit, in odium populi pertrahit, & insani rerum tumultibus involuit. O corruptum hominis fascinati judicium? O tempora, quibus rectam onentibus auris non commoda-  
tur? quibus prisca illa, & vitro pellucidiora pectora sordent? Aut umbras principis Majestatem dilatari, amplificari, ubi tyrannidis aliquid accessit, hoc est, summi mali magna portio.

Pecu-

Peculatorum leges civiles definiunt pecuniæ publicæ, seu fisci furem. At cum principis eximia, singularia bona sint tria, quibus Deum quodammodo repræsentat, *bonitas, sapientia, potentia*; num is Principi videtur amicus esse, qui duobus præcipuis bonis illum spoliat, *bonitate, & sapientia, solamq; potentiam* reliquam facit, & hanc non modo falsam, verum ne propriam quidem? Siquidem potentia, nisi ad latus sapientiam, bonitatemq; habeat, vis est, tyrannis est, non potentia, quam ipsam tamen populi consensus, sicut dedit, ita potest eripere, ut in Helvetiis, Belgis, Bohemis cernere licet: cum interim *bonitas, & sapientia* ceu propriæ facultates depulsum ab Imperio comitentur. Et an non capitale est violare principis insignia? Cur ergo præmium est his, qui animum illius vitiantes pro clementi crudelem, pro sapiente versutum, pro potente temerariū, & effrenem reddunt? Ita parum est una mors ei, qui Principis calicem toxicō tentarit inficere, & beneficio mactatur, qui mentem illius pestilentissimis persuasionibus maculat, ac imbuit, & veluti publicum Reipublicæ fontem nefando totius orbis malo venenat. Non minus principis

mu-

munus apud te Dominium est, cum revera  
 nihil aliud sit agere principem, quam rem  
 communem administrare, non privatæ utili-  
 tati, & libidini inservire. Regum inter se af-  
 finitates, vestramq; dissolutam, & ignavam  
*Ligam*, ac subinde novanda foedera Christianæ  
 pacis, & Romano-Catholicæ fidei glutinum  
 indigitas, cum his principiis omnia penè bel-  
 la, infinitos rerum humanarum tumultus, ac  
 turbas, ferventiumq; dissidiorum symplega-  
 das nasci experiamur. Justum, legitimumq;  
 bellum censes, cum ad exhaustiendam, oppri-  
 mendamq; Rem publicam principes inter se  
 colludunt, tranquillitatem vocas, cum inter  
 se conspirant, auctum Imperium existimas,  
 cum unius, aut alterius oppiduli titulus adii-  
 ciatur tanto sanguine innocentium emptus.  
 Ubi per blandicias, dolum, & fraudes alii in  
 consortium infortunii, ac nequitiae per tra-  
 huntur, ut Clementissimo meo Domino, Se-  
 renissimo Electori contigit, sicut abutisse eo F E R-  
 DINANDUS Cæsar ad Te, & M A X I M I L I A-  
 N U M Bavaram in quibusdam literis satis clare  
 innuit. O licentiam furoris ægræ Republicæ  
 gemitu prosequendam ! Ad eundem mo-  
 dum Ecclesiam tibi constituunt Sacrifici,

B.

Ab-

Abbates, Prælati, Episcopi, summi Pontifices, cum nihil nisi ministri Ecclesiæ existant. Cæterum Ecclesia est populus Christianus, quem Christus ipse majorem affirmat, ut cui recumbenti ministrent, atq; serviant Episcopi, obsequio inferiores, minoresque, sed alia ratione majores, si saltem Christum ut successione muneris, ita morum, ac vitæ referant imitacione, qui cum modis omnibus Princeps ac Dominus esset omnium, ministri partes suscepit, non Domini.

Hæc te perpendere, & trutinare velim, ut Canones practicos de potiore moneta, iuxta que ex meis partim, partim magni cujusdam Viri verbis discere, præpostera nomina sæpissimè rebus imponi. Cum sceptrū vides, cum insignia intueris, cum satellitum contemplaris, cum titulos audis, *Serenissimum, Clementissimum, indlytum, magnanimum, celfissimum*, nonne principem adoras, & terrenum te quoddam numen, homineq; majus cernere arbitraris? Sed aperi Silenum inversum, reperies tyrannum, funeribus immortalem, civium hostem, publicæ concordiæ oforem, discordiarum serendarum artificem, bonorum oppressorem, legum pestem, urbium eversorem,

rem, ecclesiæ compilatorem, factilegum, adulterum, aleatorem, breviter, ut est in Græcorum proverbio, *ιδανογενν.* Sunt qui titulo specieq; præferant magistratum, & Reipublicæ custodiam, cum resint Verres, patibulares victimæ, lupi, raptores, prædones. Nec Episcopi desunt, quorum solennem illam consecrationem si spectes, si novum ornatum inspicias, mitram gemmis, & auro nitem, pedum item argenteum: in summato tam illam *επωδος ιεροφαλη* mysticam *τερπτικων*; cœlestem utique, seu divinum quempiam virum credas. Excute Silenum, nihil invenies nisi bellatorem, negotiatorem, Lenonem, ex cuius libidine, & impotentia aliæ pullulant calamites ampliores, ut ex ramis succisæ ilicis grandes arbores. Iamq; magnifica illa, & honorifica insignia mangonium, aut comœdiam fuisse judicabis. Sunt, quos si quis è barbæ sylua, pallore, cucullo, inflexis cervicibus, cingulo, supercilio, vultusq; truculentia æstimet, SERAPIONE s, ac PAUL o se esse juret: fin explices, meros balatrones, helluones, Bacchi Flamines, ad temetum perdendum natos, planos, ganeones, histriones, subactores, predicatores, cinædos agnoscet, imò

exactores, lictores, carnifex, ac tyrannos,  
sed alia via, & haut scio, an hoc saeviore, & vio-  
lentiore, quo tectiore, planeq; quod ajunt,  
*autem ergo utrumque*

Deniq; passim in omni genere mortalium  
sunt, quorum si formam oculis usurpes, ho-  
mines, & præclaros homines voces: si Sile-  
num evolueris, intus sus, aut leo, aut ursus, aut  
canis, aut asinus fortassis occurret, vitiis ini-  
quissimus stilo, & vano clamore, eoq; iterato  
duntaxat, animo vilissimus, & moribus, legi-  
busque solutus teterimum vitæ laxum se-  
quens. Ubi diversum quiddam accidit ei,  
quod de Circes veneficiis poëtarum fabulis  
est proditum. Apud hanc enim ferarum fi-  
guram habebant, mentem hominis: iti sub  
humana specie plus quam beluam tegunt.  
Contra sunt quos de specie vix inter homines  
referas, cum in animi penetralibus angelum  
occultent. In hoc igitur discriminem est mun-  
dani, & Christiani, quod ille crassissima quæ-  
que, ac palpabilia maximè suspicit, & secta-  
tur: quæ secundum habent, aut omnino negligit,  
aut certè postremo loco ponit: hic è diversò,  
quæ minime oculis subiiciuntur, quæq; lon-  
gissimè recesserunt à natura corporum, eas fo-  
lave.

la venatur, & amplectitur, cæteris aut præteritis, aut contemptius adhibitis, ab intimis illis omne rerum judicium arcessens, & advocans. Sed hoc tuum, tuique ordinis unctorum studium videtur esse unicum, ut muneri, cui præfecti estis, non dignitatem, sed decus, non existimationem, sed infamiam, non autoritatem, sed contemptum imperatiatis. *Lacon* ille, qui cum in convivio extremo loco iussus esset accumbere, convivatoris ingenium, ac prudentiam commendavit, qui rationem excogitasset, qua illi quoq; loco præstantiam compararet. Non enim tantum, ut vulgo fertur, magistratus virum ostendit, & in luce hominum collocat, sed etiam sœpè Magistratum is, qui eum gerit, exornat, atque nobilitat. Epaminondam narrant, cum à civibus suis *Telearchus* creatus esset, non detrectasse parvi momenti magistratum, sed dixisse ita gesturum, ut deinceps Telearchia honoratior haberetur. Atque ita effectum est. Siquidem tantum Epaminondæ valuit authoritas, ut post eum perpetuò civitatis proceres ad id officii adhibiti fuerint. Verum in vobis omnia pugnantia experimur. Quamprimum enim ex *Nobilibus simplicibus*, &

ut plurimum pauperibus Canonicis evaditis,  
 & temporis successu adspirante faventis For-  
 tunæ aura imperii principes constituimini;  
 mox omnes infra vos despicitis, libidine, lu-  
 xu, ebrietate, commessationibus, violentia, a-  
 varitia, rapacitate, crudelitate, fastu, ambitio-  
 ne Julios, Caligulas, Nerones, Claudio, Pha-  
 larides, Syllas superatis, & humani generis  
 conscientiam gravi perennique, & ad nullo-  
 rum non convitia exposito opprobrio abo-  
 lere fatagitis incassum id quidem licet, cum  
 non tam in deditiorum potestate sit obli-  
 fci, quam tacere, cunctis tamen nervis, atque  
 viribus. Qui Rudolphi primi Habsburgen-  
 sis conjugem osculatus ex incontinentia, i-  
 deoque ab Imperatore jussus est, ut sibi pro-  
 priam quæreret, *Episcopus Spirensis* fuit, dignus,  
 qui in publica custodia Spiritum posuisset.  
 Qui ex superbia nimia aureum pedum sibi  
 confici curavit, ideoq; à Carolo Magno du-  
 rissimè increpatus, *Episcopus Maguntinus* fuit.  
 Qui infideles adversus Christianos tartareo  
 ausu concitavit, ideoq; à Duce Bavariæ Hein-  
 rico oculis privatus, *Episcopus Salisburgensis* fuit.  
 Cui Diabolus apparuit, eumque, Aventino  
 teste, in multorum presentia sic allocutus est;

Tu

Tu meus es, & meus manebis, sed jam tibi  
parco, verum me mox iterum videbis: *Episcopus Wurtzburgensis* fuit. Tempore hoc non  
vetustissimum, at conscientia nefarium, voce  
improbum, ac monstri simile exemplum est.  
*Qui* cruentum bellum nulla necessitate ad-  
versus civitatem gessit, & cum videret, quan-  
tis ærumnis Ecclesiam suam affecisset, præ a-  
nimi cruciatibus obiit, *Episcopus Argentinensis*  
fuit Waltherus Geroltzeck.

Quid ergo mirum est, si vos Lutherani pro  
Ecclesiasticis personis non habeant, idq; vel  
ideo, quod non concionemini, in quo præ-  
cipuum, & excellentissimum totius Evangelici  
ministerii munus positum est. Christus  
enim è terris migrans in mandatis dedit disci-  
pulis, ut ante omnia docendi provinciam  
strenue obirent.

*Ite, inquit, in mundum universum, & prædicate  
Evangelium omni creaturæ.* Quo loco docendi  
officium antefertur functioni baptizandi, seu  
Sacramentorum dispensationi: sicut & verbi  
auditio necessario debet fidei confessionem  
præire. Nec alia certior nota est, non securius  
argumentum, non infallibilis signum, quo  
vera Ecclesia discernatur à falsa, quam lana  
doctri-

doctrina, cum hæretici quidem sacramenta  
in suis conventiculis servent, illam vero nullo  
modo queant ostentare.

Quis si cultum quæramus, quo Deus ma-  
xime delectetur, nullus aliud erit, nisi qui in  
Evangelii annunciatione publica consistit.  
Nam propterea Apostolus Paulus gloriatur,  
se Deum verè, & in spiritu colere, quia nimi-  
rum Evangelium Iesu Christi annunciat.  
Cui consequens est, vos neutquam Episco-  
pos esse re, sed solo nomine, eoque præposto-  
ro, ac inverso, cum non concionemini, non  
doceatis vel publicè, vel privatim, nullum ho-  
minem Deo lucremini, gregem vobis com-  
missum nihil minus quam verbo pascatis, a-  
deo ut iam olim pridem fuerit, quod inertia  
vestra è latebris suis languore marcens in fo-  
rum perinde, ac delictum aliquod protracta  
fæteat, factique sitis ut facinorosæ, ita erube-  
scendæ rei culpæ. Liceat hic cum Sancto Bern-  
hardo vos interrogare, Cum resurgere cœpe-  
rint homines, quilibet in ordine suo, vos cum  
quibus resurgetis? Vos, inquam, qui in nullo  
fuistis ordine, ubi collocabimini? Nam cum  
cuncti status hominum aliquid habeant la-  
boris, & aliquid voluptatis, vos inter hæc  
novo

novo quodam artificio discernentes totum  
quod delectat, in quolibet elegistis, & totum,  
quod molestat, respuiſtis. A militibus acce-  
pistis elatos oculos, amplam familiam, equo-  
rum phaleras, & nobiles apparatus: a mulieri-  
bus dependentes collo pelles rubricatas, vinū,  
molliciem, balneum, & gloriam: a rusticis  
fructus agrorum, horrea plena. Sed benē ca-  
vetis, atque refugitis militaris loricæ pondus,  
muliebrem declinatis verecundiam. Rustici,  
& agricultoræ victum sibi labore parant: Vos  
delitiis affluitis, & tamen adveniente messe,  
autumno promptuaria, cellæ vestræ diſten-  
duntur vino, & tritico, melle, & oleo, quibus  
incrassamini, & impinguamini. Restat itaq;,   
ut qui nullarum partium, nullius ordinis estis,  
illum locum olim fortiamini, ubi nullus or-  
do, sed sempiternus horror inhabitat, & ma-  
neatis in laboribus Dæmonum, qui in operis  
hominum essenoluistis.

Ita viriste Magnus inculcat, Egoq;, cum  
inter meæ Religionis homines sum, discurre-  
re soleo, quem alterum si nosse aves, ille est,  
qui ut in aliis, ita religionis negotio suum  
quoddam judicium fecutus, & supersticio-  
nes, ac errores ridendo carpere contentus

C

fue-

fuerit, hic profecto veritati litavit, cætera mōdis omnibns incomparabilis ob incomparabilem in omni disciplinarū genere eruditio- nem, & inexhaustam ingenii ubertatē, morumque suavitatē, pari conjunctam cum elo- quentia, sapientia, & prudentia, verè <sup>egregios</sup>, ac plane *Desiderius*. Qui utinam non frustra tuæ seclæ homines officii admonuisset, ut haut gravaremini Apostolorū ingredi vestigiis, qui locum, & authoritatem Apostolorum vobis vindicatis, sicq; hac semitā tandem per angu- stæ famæ velum in augustinori templo lau- dem, & celebrietatem inveneretis.

Etenim quam maximie divites esse vult Pontifices, non aliorum jacturis, sed Evangelico margarito, sed cœlestibus opibus, quas quo largius in omnes effuderint, hoc ipsi magis abundabunt, nec periculum erit, ne beni- ginitas pereat benignitate. Discupit quam munitissimos esse, sed armis Apostolicis, scu- to fidei, lorica justitiæ, gladio salutis, quod est verbum Dei. Optat bellacissimos esse, sed ad- versus veros illos Ecclesiæ hostes, simoniam, superbiam, iracundiam, ambitionem, impie- tatem non adversus innocentes, & probes Evangelicos, cū sub Gentilibus quietis inter- valla Christiana respública senserit, nec sine fi-

ne à rabidis canibus, quemadmodum nobis pacificis Lutheranis à vobis fit, lacerata fuerit. Etenim ut Nerones, Diocletiani extiterint, & major pars Cæsarum nihil profuerit, nil etiam rebus Christianis nocuit. Malus Caligula, sed in Christianos non malus: malus Tiberius, sed in Christianos quoq; bonus, ut qui Edicto cavit, ne Christiani pœnis afficerentur. Ethnicus Alexander Severus, sed in Christum non Ethnicus, utpote qui eum in larario coluerit. Ita vult cū primis esse suspiciendos sacerdotes, ac non tyrannico strepitū, non ornatū vel prophano, vel theatrali, sed excellentia doctrinæ, vitæ sanctimonia. Vult timeri, sed ut patres, & à malis duntaxat metui, à bonis amari, ut virtutes benignissimè foveātur, vicia severissimè vindicentur. Vult divitiis affluere, sed raris, ac quas vulgus novit, longè pretiosioribus, & suavioribus. Sed esto, Ecclesiam habere sua tempora. Qui primi ad præsepe Domini venerunt, pastores erant, inopes erant, qui postea, reges erant, & quod regium erat, apertis thesauris regia munera offerebant. Ita aliter in Ecclesia agendum erat tuo sensu, cum Christiani multis civitatibus, nullis regnis muniti erant. Hinc longè aliter Judæi in

C 2

Ægy-

Ægypto vixerunt alienæ Reipublicæ admixti, longè aliter in terra Sancta, cum mœnibus, & oppidis distinctam possiderent Rempubli-  
 cam. Ibi omnia obsequenter faciunt, jussi fi-  
 lios necare necant, hic in bella consurgunt,  
 armis feso, suaque tuentur. Longè rursus illis  
 alia vita in Babylonico exilio, alia in patrias se-  
 des reversis: ibi ad flumina Babylonis suspen-  
 sis citharis fletu suas fortunas deplorant; in  
 patriam regressi templum armati ædificant.  
**Quid?** An non ipsi Apostoli sua arma habue-  
 re? Percutitur Elymas cæcitate à Paulo, occi-  
 ditur Ananias, & Saphyra à Petro, præcipita-  
 tur Simon Magus ab utroq;. Verùm hæc ni-  
 hil ad te, tuique similes, qui in anibus saltem ti-  
 tulis, & vocabulis gloriamenti, nec unquam  
 salvificam fidem agnovistis, in qua precibus  
 vestris divinum auxilium sollicitaretis. Atta-  
 men si vis audire verè summi pontificis divi-  
 tias, quæ non anxiis fôrdibus comportentur,  
 audi à Pontificum Principe proximum: *Au-*  
*rum, & argentum non est mecum, quod autem habeo,*  
*hoc do tibi; In nomine Iesu surge, & ambula.* Vis au-  
 dire Apostolici nominis decus, quod omnes  
 triumphos, omnia ellogia, omnes vincat for-  
 nices, & statuas? Audi Paulum illum verè in-  
     cly-

clytūm: *Bonus odor sumus Deo in omni loco.* Vis plusquam regiam audire potentiam? *Omnia possum*, inquit, *in eo, qui me confortat.* Vis audire immensam, solidamq; gloriam? *Gaudium meum & corona mea vos estis in Domino.* Vis audire titulos Episcopo dignos, & ornamenta non fucati, non adulterati, sed synceri Pontificis? Paulus itidem tibi depingit *sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem: non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non lucricupidum, non neophytum: qui bonum habeat testimonium & ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli.* Contemplare quibus ornamentis honestet Aaron pontificem Moyses, quibus ornet opibus, quibus picturet coloribus, quam variis gemmarum stellis illustret, quanto auri fulgore decoret. Quæ quid sibi velint, si ex Origenis Hieronymiq; cognoveris interpretatione, nimirum intelliges, quæ supellex paranda sit verè magnis Episcopis.

Quapropter assurge, & firma te, teq; ipsum recognoscens ad correctionem propera. In lege Domini meditare die ac nocte. Populum aversari scelus, & sectari pietatem monitis, ac exemplo doce. Crede patriæ ruinam penates omnium secum trahere. Palatinum

insectari desine, & cuius opera publicam authoritatem splendorem suum per Anglicanas nuptias, Bohemiæ accessionem procul obtinuisse scis, domi collabi indignum, tibiq; deforme esse arbitrare. Discenihil æquitati tam contrarium, atq; infestum esse, quam convocatos, armatosq; homines, nihil juri tam inimicum, quam vim, & deceptions. Compesce temeritatem, & curiositatem, ne dum alieni meriti peritiam sectaris, ignarus fias tui. Timidam, sollicitamq; ambitionem procul habe, cuius improbae spei, quod datur, nunquam satis est. Odium, & rancorem omnem abiice. Otium cole, non quo vitam enervem exigas, & virtus evanescat, sed quo recreetur. Divitias nec in prima felicitatis parte, nec paupertatem in ultimo miseriарum statu pone: cum & illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus sit referta, & hujus honidior aspectus solidis & certis bonis abundet. Adversus Iberi potentiam digna fide, & constātia Alemannicā consilia cape, nec externos cole, aut ad nutum promptius adulare, plura sæpè peccantur dum demeremur, quā dum offendimus. Deniq; amplectere Germaniam patriā tuam charitate, vicinos officio, cœlum ani-

animo, æternitatem gloria, genus humanum  
beneficio, cumque omnia sursum deorsum  
voluantur, ferantur, & universa Mundi natu-  
ra, & machina suis jā fessa fractaq; laboribus,  
& effœta senio, ac hominum flagitiis, Hispa-  
norum, & Italorum imprimis, velut morbis  
confecta lethalibus ad <sup>anno 1616</sup> certa quadam  
<sup>in monte egidio</sup> trahatur, & anhelet, ab occupatione  
transeuntium, & caducarum rerum feriatus  
in piis veræ religionis & invocationis exerci-  
tiis adventantem Dei filium, & ad calculum  
mortuos juxta vivosq; propediem revocatu-  
rum alacriter præstolare.

Hęc sunt, *Archipræsul Reverendissime*, quæ post  
censuræ acrioris, & accuratioris adhibitā nor-  
mam ad te scribenda habui, ubi me utrumq;  
assequi velle spero, & ut mihi grati animi ali-  
quis fructus cōstet, meæ voluntatis in te hoc  
qualicunq; testimonio constituto, & ut qui  
tui ordinis rectissimo itinere ad honestā lau-  
dem aspirant, poste aquam resipueris, Hispani  
partes deserueris, Ferdinandum aliter instru-  
xeris, & veteris fortunæ memoria quasi freno  
cupiditates compresseris, tuo exemplo magis  
magisq; ad parilitatem inflamentur. Vale.

Dabam *Dresdæ IX. KL. Xbris Cl. 10. CXX.*

*T. 9. 9. 8. 8. 8.*



20



163782 OA



**ULB Halle**  
004 800 877

3



VDA7





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-26762-p0032-8

DFG

mè vid  
aliqua  
tatis po  
& adh  
nificer  
ut crep  
rem an  
munei  
ruptai  
ruas, &  
  
Nar  
quam e  
militat  
plete,  
tonæ E  
pares c  
German  
SPIN  
mittig  
cendi c  
animu  
nem, i  
didissi  
quum,  
*ab Effer*  
Eter



nccii fatum  
næ curiosi-  
q; monere,  
te, & mu-  
ius usus es,  
ctis tumo-  
, pastoritio  
les, & præ-  
ubas, cor-  
plus posse,  
ere, qui hu-  
rtate locu-  
uplici per-  
iendæ im-  
vel Imperii  
HIONEM  
n exercitu  
, cuius no-  
delitatem,  
ndi libidi-  
nda splen-  
a per anti-  
Nobilem  
iniam im-  
plica-